



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret  
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De  
Westphalia & Saxonia Inferiori**

**Hamelmann, Hermann**

**Lemgoviae, 1711**

**VD18 11397225**

17. Lipsius contra VWestfaliam.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

schickren und frommen Catholischen Lehrer und Pastorn an seine Statt verordnen / und euch in deme also verhalten / damit wir und männiglich spüren mögen / daß ihr unserer alten wahren Catholischen Religion mehr / als solchen ungebührlichen und angefangenen Handel / (daran wir gleichwol nicht zweifeln /) anhängig. Woferne aber unser Vorsehen Ihr diesem unseren Wohlmeinern und billigen Befehl nicht nachsetzen würdet / habt ihr zu bedencken / daß wir / wie vor gesagt / als der Landes-Fürst und Ordinarius, in diesem gebühliches Einsehen zu thun nicht unterlassen werden. Das wollen wir Euch aus gnädiger und guter Meynung nicht verhalten / damit Ihr dieses wisset und Euch darnach zu richten hättet. Sind euch sonst wohl geneigt. Datum Linne / am ersten Septembris, Anno 1564.

Sic amotus est *Lambertus* à ministerio, & ab ejus aliorumque motionis tempore usque ad Pascha proximi & sequentis anni 1565. nulla habita est concio in oppido *Gesecke*, itaque pii ibi in mœrore & luctu fuerunt propter amotos suos pios Pastores & imminentes lupos rapaces. Etsi aliquoties Sacrificuli aliquot paulo post essent propositi, sed illi ut minus idonei reperiebantur. *Lambertus* hæsit aliquando *Gesecke*, in sua patria. Quo deinde abierit, ignoro, interim omnes sancti in eo loco graviter plorando & lamentando de *Caiphis Annis* & *Pilatis Werlensibus* conqueruntur, & dolent, tam pios viros sibi eripi. Tandem receptus est in locum pristinum *Lambertus*, qui ibi postea neutralitatem exercuit.

Dicitur tamen iste *Fridericus de Weida*, Comes, conscientia causa deposuisse & resignasse Electoratum & Archiepiscopatum *Coloniensem*, ut possit, veluti patruus, pie & bona conscientia vivere, Anno 1568.

JUSTI LIPSII, Profess. P. Lugd. Bat.

Quatuor jocosæ de Westfalia Epistolæ, præsertim de *Oldenburgensi* Comitatu.

Ad

V. N. JANUM DOUSAM, P. P. Lugd.

**O**ldenburgi, mi *Dousa*, sum, ubi malum, istud inquires, oppidum est in *Westfalia*, tertio lapide à *Brema*, illic me tenent equites nostri, qui loca hæc omnia persultant. Certe animi pendeo, properem, cum periculo est, nec audet id quisquam mercatorum. Haream? tempus mihi labitur in itinere opportunum. Quod si

Mmm mmm 2

diu-

diutius in his locis illæ turmæ, delibero, *Embdam* redeam, an mari *Hamburgum* pergam, atque illinc *Francofurtum*. O omnia molesta in hoc tempore! Sed Diî porro juvent, adhuc fero & resisto. Apud vos, quo loco res sint, scire velim. Nam hic qui inquiram? in Scytharum eremia mihi videor, nec inter homines, satis certo. Omnes hic Suilli, Scrofæ, Porcy, & uno verbo tui *Hermanni*, o *Baravia*! o amiciuli! vos mihi in mente, & ad vos adspiro. Fontes tamen meos prægustasse vellem, quod subvereri incipio, ut fiat hæc hyeme, videbo, & sub manu consilium aliquod capiam, quod te non celabo. Vale, mi *Donsa*, & lectissimæ uxori tuæ salutem & osculum [ita jubeo] à me ferto in Barbaria apud Pultiphagos, III. Non. Octobris. CIO IO LXXXVI.

## JANO HAUTENO S. D.

**E**mbdæ cum dies aliquot quievisssem, partim recreandi mei causa, partim quia deerant currus, iter arripui *Bremam* versus, sed pede parum fausto. *Oldenburgum* ecce veni, distat tertio milliari ab ea urbe & undique cingunt nos equites peditesque, qui in Belgium parantur. Manendum in nidulo illo fuit, aut incidendum in harpices illos, quibus nihil est sancti. Et mehercule de tota via mea hæreo. Ita multa à multis pericula audio, ita multa ipse video. Ommitto molestias & tœdia hospitiorum, præsertim, quæ hic plus quam germanica, crede mihi amice, barbaria nulla barbaria est præ hic *Westfalia*. Cætera Germaniæ fere vidi. Quid dicam? deliciae illæ locorum & hominum sunt, si cum istis comparentur, & tamen avido anhelo ad illos fontes. Sed hyems me occupat, & si diutius morantur hic equites, [pecuniam expectant, nec nisi ea plene numerata, pedem moturi dicuntur] fractum meum iter. Quod si fuit, iterum *Embdam* constitui, & illic hyemare. Nec enim plane displicet is locus, & inter ignotos libellis meis & chartis me involvam, sine metu interpellationum, sed vos interea quid, quo loco res publica, res privata, scribe ad me quæso, & literas *Embdam* destina; quia in omnem casum illinc ad me, vel in mediam Germaniam, facile perferentur. Ita mandavi, & uxor te docebit. Vale mi amicissime, cum uxore tua & familia omni, quam saluto. *Oldenburgi*, ex hata, quam hospitium appellant, III. CIO IO LXXXVI.

JOHANNI HEURNIO S. D.

Ego, mi *Heurni*, quod vos medici! miremini, vivo. Passus enim ea in hoc *Westfalo* itinere sum, quæ nemo olim Cynicus aut patientiam professus. Omnia humana mala me exagitarunt, ab aëre, ab aquis, à cibis venti & pluviae perpetuae, cibi, non dicam barbari, sed vix humani. Valetudinem meam nosti, & quam ea praecipue mihi firmanda, delectu dapum. Ecce autem in hospitiiis, sic appellabo, etsi re vera stabula illa aut haræ potius, primo initu poculum aliquod obtrusum cerevisiae olentis aut tenuis, & saepe à recenti coctione calentis. Nec recusare fas, nisi elegisses expelli. Hic gustulus erat, & ad ignem, cum aurigis aliquot aut serophipascis eadem illa potio, saepius iteranda, cum solenni elegantia ad singulos potus porrectæ manus. Interea mensa sternebatur, nec dicam de mappa. Nosti, & jam calor meus inhiabat in cibum: sed heu, primum ferculum è lardo spisso, pingui, & addo, crudo; O rem mei stomachi! quid facerem? poscere aliud, nefas. Specto igitur & taceo, & bocellas aliquot panis frango. Atque utinam panis, sed vera, mi *Heurni*, si colorem, si pondus, si totam faciem vidisses: juro tibi, pejerasses de pane. Ater ille, gravis, acidus, & formatus in massam quaternos aut quinos pene pedes longam, quam ego nec elevassem. *Plinius* mihi ibi in mente, qui de hac aut finitima gente scribit: Miseram eam, quæ terram suam ureret. Ego verius: Miseram, quæ terram ederet. Sed vide alios missus: Diu expectato, ecce tibi caput jam coenæ patina grandis, plena brassicæ confectæ, ea jurulenta est [virulentam mihi calamus scribebat] adipe porcino ad digitum eminentem ac superstante. Hanc ambrosiam non comedunt mei *Westfali*, sed vorant. Ego quid? nauseo & fameo. Atque ad extremum passulas aliquot è sacciperio meo haurio, quas cum pane lente gusto. Invidiam ea res habuit & sermonem: sed ego cum hospite convivas iratos habere malui, quam hygeiam. Denique & famulus meus insufurrabat iis de morbo. Extremum ferculum caseus fuit: sed ita putridus, ut flueret; hoc ipsum tamen illi habent, ut cerebrum *Jovis*. In pagis ista, in oppidis haud multo meliora, nisi quod illic tamen pisces nobis plerumque appositi, ex his, qui *Norvegia* adferuntur, sale indurati & vento, at panis è siligine eadem. Hos tamen cibos edere jam didici, imo concoquere: & si ad vos unquam redeo, virum videbis, sive passerem marinum potius, qui vorare didi.

Mmmmm mmmmm 3

di-

dicerim ferrum. Hæc in mensa, vis etiam lectum plane electum le-  
 dicitæ pleræque in ordinem ad utrumque latus, juxta eas vacca,  
 equi, vituli, supra pulli & gallinæ, subter [testor fidem] porci; de  
 pulvino aut linteis oro te, noli querere. Mendicorum nostrorum  
 tegetes longe meliores ac puriores aut centones. Itaque per dies  
 totos octo vestem non deposui. Jam illud corollarium pulchrum:  
 quod duas noctes dormivi in aperta navi sive cymba in *Hartha* flumine,  
 sub puro Jove, idque cælo pluvio & ventoso. Postea tamen  
 omnia viva jocosa habet: quid aliud mihi libeat natali die, nam de  
 morbo absit ut te consulam, male perierit ille in mala via. Tu sal-  
 ve voveo idem *Holmanno, Beima, Bontio*, collegis meis. *Embda*, xxx.  
 Cal. Novembris, MDIO LXXXVI.

Carmen pro methodo tua habes, sed quod non dubie olebit hanc  
 gentem.

PETRO COLVIO.

**A**ppello te, mi *Colvi*, ultro libet & vacat: illud ob amorem, hoc  
 ob otium, quo præter votum nunc fruor. Nam hic, in quo  
 indulo, teneor *Oldenburgi*, inter homines semi homines, id-  
 que vi sine metu nostrorum equitum, qui circumfusi, nostri genus, &  
 quam nec Musis nec Mercurio parcant, utique si iis bulga ita iter  
 nostrum protollitur & bene si non tollitur superventu nigra hyemalis  
 quæ & ipsa adæquitat, videbo, & quod Deus ille dabit, feram. Sal-  
 ve mi *Colvi*, ut dixi. Nonis Octobris, MDIO LXXXVI.

APOLOGIA HERMANNI HAMELMANNI,  
 Pro illustribus & inclytis Comitibus Altenburgicis, & pro  
 honestis ac industriis Urbis Altenburgicæ civibus & totius  
 regionis incolis, contra virulentas Iusti Lipsii calu-  
 mñas atque injurias.

Inclyto & summæ spei generosissimæque indolis Comiti juniori ac  
 Domino, Domino *Antonio Günthero*, Comiti Altenburgensi & Del-  
 menhorstano, Dynastæ in Jhever, &c. Illustris ac magnanimi Herōis ac  
 Domini, *D. Joannis*, Filio & unico hæredi &c. suo Domino benignissimo  
 salutem in Christo Jesu dicit & divinam benedictionem à Deo patre  
 per Christum precatur HERMANNUS HAMELMANNUS.

**I**llustris & maxima spei Generosissimaque Indolis Comes, *Antoni Gün-  
 there!* Domine mihi benignissime, postquam tuos Inclytos Majores &